



## **Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis**

In Quatuor Partes Distributæ

In qua de Incarnatione Verbi & Mysteriis vitæ Christi, nec non de  
Sacramentis in genere & singulis in specie succinctè & dilucidè tractatur

**Herincx, Wilhelm**

**Antverpiae, 1675**

Illustrissimo Viro D. Leoni Ioanni De Pape Regi In Hispania Ac Belgio A  
Concilio Status, Sanctioris Senatus Capiti Ac Præsidi, Primorum Sigillorum  
Cvstodi Illustrissime Domine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72963](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72963)

ILLUSTRISSIMO VIRO  
D<sup>NO</sup>. LEONI IOANNI  
DE PAPE  
REGI IN HISPANIA  
AC BELGIO A CONCILIO STATUS,  
SANCTIORIS SENATUS  
CAPITR AC PRÆSIDI,  
PRIMORUM  
SIGILLORUM  
CVSTODI.  
ILLUSTRISSIME DOMINE.

**L**UCUBRATIONES meæ de Incarnatione Verbi Divini, ejusque in assumpta carne conversatione & œconomia, ac potissimum de septem ab eo institutis, suæque Ecclesiæ relictis Sacramentis (*per qua omnis vera iustitia vel incipit, vel cœpta augetur vel amissa reparatur, juxta Concilium Tridentinum sess. 7. in procœmio*) nunc iterum auctiores lucem vident; idque sub auspicio Illusterrissimi Nominis Tui. Gestiebat quidem animus

\* ij.

com-

E P I S T O L A.

communem Tibi ex Hispanis cūm supremo  
Proto-Præsidis dignitate pro mēritis obtenta ad  
gratulantium lātitiam publico monimento te-  
stari; tum mēa tum Religionis nomine, quæ jar-  
olim adhuc in minoribus constituti patrocinio  
gloriabatur: sed prælo ob intercurrentes occupa-  
tiones protracto, moram hanc benignitate soli-  
tā purgandām confido. Invitabat quoque ma-  
teriæ dignitas: ipseque offerentis affectus pon-  
dere suo in Te ferebatur, qui nimirum jam in-  
dē ab adolescentia tuos tuorumque mores a-  
justitiæ Christianæ normam componere, motu  
que animi ad ejus velut primi mobilis motum  
dirigere sategisti, & satagis usque modò.

Genus quidem Tibi nobile & antiqua stirpe  
decorum. Prognatus nimirupz Lovanii, antiquâ  
sapientiæ sede, Majoribus & sago & togâ clāris.  
Verùm mavis non tam generis nobilitate, quām  
justitiæ Christianæ merito laudabilis esse potius  
quām videri. Probati enim viri genus, virtutis prosapia  
est; teste Ambrosiol. de Arca & Noë c. 4.

In patrio solo vix Jurisprudentiæ palæstram  
egressus, laureaque donatus, mox quasi aliis na-  
tus, publicis admotus negotiis, pedetentim & per  
gradus fastigium concendi. Etenim magnus  
justitiæ splendor: quæ aliis potius nata, quām sibi, teste Am-  
brosio l.i. Offic. c. 28: In syndicūm quippe &  
Con-

## DEDICATORIA.

Consiliariū Urbis Bruxellensis primū coop-  
tatus, spartham hanc prudentiæ justitiæque li-  
bramine sic adornasti, ut dotibus tam naturæ  
quam gratiæ illectus Rex maximus Te in supre-  
mo suo Brabantia senatu ad clavum Justitiæ  
sedere jussit. Sedisti verò ea sapientiæ ac justi-  
tiæ laude, etiam populi preconiis celebrata, ut  
non ita post Causarum Fiscalium per Ducatus  
Brabantia & Limburgi administrum è multis  
præstantibus viris unum sibi Rex idem selegerit,  
qui nimirum, juxta monitum Sapientis, valeret  
virtute irrumpere iniquitates, neque extimesce-  
ret faciem potentis, nec scandalum poneret in  
equitate sua. Ad alia interim publica graviaque  
negotia cum primis Imperii Principibus, cum  
Statib[us] Fœderatarum Provinciarū pertractan-  
da, ad obstinata quoque de iure Regnorum in-  
ter Regem nostrum & Regem Galliæ compon-  
nenda dissidia deputaris; Sapiens enim cor & in-  
telligibile in operibus justitia successus habebit. Eccli. 3. Ad  
latus Te suum Rex dein adscivit, lumenque  
tuum Hispaniis insulit, ut Madriti in Concilio  
Status, Belgii Burgundiæque res gerendæ Tua,  
hoc est, singulari, curæ; industria, prudentia di-  
rigerentur. Sed nec ibi status. Vix enim modico.  
ibi tempore substitisti, & lidus tuum ad nos re-  
traximus, dum Sanctioris Concilii Proto-Pre-

\* iii.

ses

E P I S T O L A.

ses proclamatus, consilio & auxilio in rebus & temporibus difficillimis Belgicæ labanti manum suppositurus ad nos magni Regis jussu remitteris. Hic jam Te Hierarchiæ politicæ supremum Hierarcham sedentem ac præsidentem, veluti à Deo datum, læti omnes inspicimus, suspicimus & gratulamur.

Gratulabatur olim sibi, nec immerito, Valentianus Imperator, intellecto populi Mediae lauensis Ambrosium Episcopum depositis desiderio, quod cerneret delectos à se judices ad Sacerdotium postulari. Non minor hodie Belgis materia gratulandi, quod cernat viros Sacerdotio dignos in Proto-Præfides nominari. Ipsa etenim hodie sapientia rediviva videtur, quæ constanter Te dirigit ac præcedit in viis justitiae. Monitum Sapientis Eccli. 4. in tabulis cordis tui descriptum tenes: *Pro justitia agnizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Quos vincere nosti patientiam Christianam, quæ nobilissimum vindictæ genus. Benignitas quoque erga omnes, etiam infimos, adeo Te amabilem ac venerabilem reddit, ut meo quidem iudicio, neminem nostram memoriam viderim, quem magis reverentur, quem minus vereantur. Modestia cultus & morum, veluti gemmula car-

bun-

## DEDICATORIA.

bunculi in ornamento auri , mirum quām oculos intuentium perstringat pariter ac delebet. Domestica spectemus , familiam ( in qua ex nunc plures utriusque sexūs numerantur sacræ seu religiosæ militiæ adscripti ) intuemur adeo ordinatam ; ut potius religiosa examina , quam autæ sacerdotalis mancipia cernere videamur . Ut & cum reliquis , quas in Hierarchis Ecclesiæ Apostolus i. ad Timoth. 3. requisivit , qualitatibus , adsit , immò emineat illa : Oportet esse domui sua bene præpositum , filios habentem subditos cum omni Castitate . Si quis enim Domui sua præesse nescit , quomodo Ecclesia Dei ( adde , Reipublicæ Christianæ ) diligentiam habebit ? Et quid verbis opus ? Res ipsa vociferatur : adeò ut meritò beatum populum dixerim cuius Tu Rector ac Præses constitutus es . Scitè enim ac verè Plutarchus in Numa Reges ( Præfides ) sapientes sunt & sancti ; tunc Respùb. maximum quoddam ac diuinum donum à Deo se accipere existimet .

Accipe igitur ILLUSTRISSIME DOMINE hoc publicæ gratulationis testimonium , opus dico hoc Theologicum : quod , si quidquam euiquam , bono ac interiore affectu Tidi do dedicoque : utinam virtutum tuarum tam perpetuum ; quam mei affectus cultusque

E P I S T O L . A .

cultusque sinceri monumentum. Nunc vota  
nostra sunt, ut, dante illo cuius perpetuo Nu-  
minē hæc Mundi machina regitur, diu Belgici  
nostræ præsis ac prosis, inque Te verificetur di-  
ctum Sapientis Eccli. 10. *Principatus sensati stabilis erit*  
Ita vovet, ac tandem beatam æternitatem pre-  
catur.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONIS  
vestra Observantissimus servus

F. GUILIELMUS HERINX.

Antwerpia Kal. Decemb. 1674.